

V. Illa propositio : Christus sec. hum. nat. est DEUS, hoc sensu intellecta : Christus, postquam humanam naturam assumpsit, non est DEUS tantum sec. Div. nat. essentialiter, sed & sec. hum. nat. personaliter, carne nempe à personâ τὸ λόγος non exclusâ, clarissimè exhibetur Luc. I. 31. 32.

VI. Christus sec. carnem est Filius DEI naturalis, non adoptivus, quia non existit extra DEUM, sicut adoptans alias existit extra adoptatum.

VII. Frater verò Christus est, non tantum omnium hominum, naturæ communione & intentione affectus, Hebr. II. 16. 17. sed & affectu ipso & quasi adoptione peculiari fidelium, Matth. XII. 49. 50. Marc. III. 34. 35.

VIII. Quam verè DEUS homo est, tam verè DEUS passus est.

IX. Ab abstractivâ loqvendi formâ : ipsa DEITAS, in carne habitans, passa est, quia & DEITAS incarnata est, quam magni nominis Theologus, inviolatâ ipsius doctrinæ veritate, defendit, abstinere malumus, quia Scripturæ usui non æqvè, ac abstractivæ, in secundo communicationis genere, convenire videntur.

X. Qui genera communicationis idiomatum, in Scripturæ exemplis manifestè proposita, arrodunt, ipsam proprietatum operationumq; cõunionem sublatam cupiunt.

XI. Humana natura Christi omnipotens rectius dicitur per denominationem intrinsecam, quam extrinsecam : ex quo tamen non efficitur, humanam naturam esse DEUM, cum & corpus hominis sit animatum vivumqve intrinsecè, nec tamen ipsa anima.

XII. Quare nec humana natura in officialibus minus principaliter, Divina verò principaliter agere dicenda est.

Disp. XXIV.

De

Officio Christi.

I. **N**on potest idonea allegari ratio, cur à triplici officii Christi distinctione, eâqve vulgatâ, debeat recedi.

II. Ut